

1774. 13
1719, 9^a

Q. D. B. V.
**MAGNIFICUM ACADEMIÆ
RECTOREM**

ILLUSTRISSIMOS COMITES
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES

NEC NON

*GENEROSSISSIMOS ET NOBILISSIMOS
COMMILITONES* (1)

AD AUDIENDAM ORATIONEM
DE ORTU ET PROGRESSU
JURIS PUBLICI IN GERMANIA

QUA PROFESSIONEM JURIS EXTRAORDINARIAM

D. IX. AUGUST. H. L. Q. C.

AUSPICABITUR

OFFICIOSISSIME INVITAT

D. JO. JACOBUS MASCOV
COLL. MIN. PRINC. COLLEG.

*LIPSIAE,
LITERIS ANDREÆ ZEIDLERI.
1719.*

Q D B N
MAGNIFICUM ACADEMIÆ
RECTORIÆ
INSTRUTISSIMOS COMITES
ILLUSTRIS RHEINISCHE PROCESSION
Nec non
GENESES ZUWÖLFI ET NOVIZIUM
COMMUNALOVES
AD ALBENDIUM ORATIONEM
DE ORTUELLI PROGRESSU
HERS PFERDI INGERMANIA
DU TOLLESIOMEN HERIS EXTRADIDINARIAM
D. IX ANNO A.D. M. C
AU. H. L. L. TUR
OEGDIO L. S. A. T. CATT
D. JO. JACOBI MASCOCIA
CORT. W. M. RING. COLLEG.
—
L. V. A. Z. T. R.
HISTORIÆ VANDERÆ STUDIÆ
1713.



Entio nonnunquam fit apud
veteres scriptores Roma-
nos JURIS AUSPI-
CIORUM, imprimis a-
pud Ciceronem, (1) cum
Tiberium Gracchum ita
haruspices alloquenter
introducit: *an vos Thusci, & barbari, auspi-*
ciorum populi Romani jus tenetis? Constat au-
tem diu inter arcana dominationis auspicia ha-
buisse optimates, ut Deos in consilio habere visi,
multitudinem facilius regerent. Quam disci-
plinam data opera explicandam, alii occasione se-
pono. Interea vero leges nonnullas illustrare
animus est, quarum nomina hanc antiqui juris

A 2

par-

(1) de Nat. Deor. l. 2

partem attingentibus saepe occurunt, utpote quibus aut constitutum fuit collegium augurum, aut sancita, solutave auspiciorum religio.

L. OGULNIA

Prima est LEX OGULNIA. M. Valerio & L. Appulejo Coss. L. & Cn. Ogulnii Tr. pl. rogationem tulerunt, ut cum IV. augures, quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, IV. pontifices, V. augures, de plebe omnes allegarentur; & tandem post certamen acre cum patriciis, ægre comitum cari cum plebejis auspicia ferentibus, perlata lex est. (2)

L. DOMITIA.

Solebant augures, ut reliqui sacerdotes a collegiis creari, quod quidem jus ad populi beneficium transferre Q. Maximo, & L. Mancino Coss. (A. U. C. 609.) tentarat C. Licinius Crassus: sed ne perficeret, Lælius Prætor obstatit. (3) Factum tamen id LEGE DOMITIA, quæ C. Mario II. & C. Fimbria Coss. (4) a Cn. Domitio Ahenobarbo Tr. Pl. lata est. Is offensus

augu-

(2) vid. LIV. I. X. c. 6. 9.

(3) vid. CICERO de amicit. c. 25.

(4) ASCON. in Cicer. p. 142. Fast. Capitol. & Pighii Ann. III. p. 153. Incidit is consulatus in A. U. C. 649. Sed si VELLEJUM Patrculum sequimur, Domitius Tribunus fuit C. Mario III. & L. Aurelio Oreste Coss. adeoque A. U. C. 650. Tertius, inquit, L. II. c. XII. Marii Coss. in apparatu belli consumtus est: quo anno Cn. Domitius Tr. pl. legem tulit, ut Sacerdotes quos ante Collega sufficiebant, populus crearet.

¶ (5) ¶

augurum collegio, quod ipsum in patris locum non cooptassent, (5) populo jus asseruit, ut quemadmodum Pontifex maximus ita & reliqui sacerdotes, ut pontifices minores, triumviri epulones, XVvirii Sibyllini, augures, populi comitiis crearentur.

Evidem *L. DOMITIAM CORNELIA* abrogavit, cuius tamen Ant. Augustinus mentionem nullam facit. Nam Cornelius Sylla dictator, qui & VI. augures adjectit, collegiis jus cooptandi reddidit: (6) sed non diu illa lex duravit. Nam Cicerone & Antonio Cossi, cum Labienus Tr. pl. rogationem de pontificibus creandis tulisset, plebs in J. Cæsaris gratiam, Domitii legem iterum introduxit: ut ipsum Cæfarem, qui summo studio populari auram captare solebat, in Metelli Pii locum, Pontificem maximum ficeret. (7) Fatetur hic P. Manutius (8) non assequi se, quid legis Domitiæ J. Cæsari opus fuerit, cum & ante illam Pontifex maximus a populo crearetur: ut ex loco Ciceronis appetat. (9) Sed quid

Abrogata Le-
ge CORNE-
LIA.

Restituta a
Labieno.

A 3

si ita

(5) SVET. in Ner. c. 2.

(6) DIO I. 37. p. 46. ed. Hanov. 1606.

(7) ID. I. c.

(8) de leg. Rom. c. 2. in GRÆV. thes. antiqu. Rom. T. II. p. 1032.

(9) II. in Rullum c. 7. quem integrum statim dabimus.

si ita hæc componamus? Non poterat Pontifex maximus nisi ex collegio Pontificum legi, adeoque cum moreretur, alius in pontificatum, alius in principatum sacerdotii succedebat. (10) Ita Cæsar Pontificatum maximum ambiens, pontifex ante omnia esse debebat; cumque collegio non satis fideret, a populo una & pontifex, & pontifex maximus creari maluit.

Verus eius
senatus erui-
tur.

Quæ vero ex *LEGE DOMITIA* populi, quæ collegii jura in adsciscendis auguribus fuerint, non possum melius quam ex Cicerone illustrare. Is enim nominationia augurū sacerdotium se debere memorat, in Crasfilocum (A.U.C. 699.) cooptatus. (11) *Quo tempore*, inquit, *me augurem à toto collegio expetitum, Cn. Pompéius & L. Hortensius nominaverunt, ne que enim licebat à pluribus nominari, tu nec solvendo eraſas.* (12) Mox tamen agnoscit, populi auctoritate opus fuisse, dum pergit: *Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non effet? aut tum cum es factus, unam tribum*

(10) *Livius I. xxxix. c. 46.* Hujus principio anni P. Licinius Crassus Pontifex maximus mortuus est, in cuius locum M. Sempronius Tuditanus pontifex est cooptatus, Pontifex maximus est creatus C. Servilius Geminus. Plura exempla habet *GRUCHIUS de Comit. Rom.* I. 2. c. 2. in *GRÆV. Thes. A.R. T. I.* p. 663.

(11) *PLUT. in vita.*

(12) *Phil. 2. c. 2.*

(7)

*Sine Curione ferre potuisses? Quæ dum inter se
compono, verum simul L. Domitiæ sensum eruif-
se mihi videor.* Eundem enim Ciceronem
auctorem habeo, populum quidem in suffragia
ivisse, sed quem destinasset sacerdotio, eum dein-
de a collegio cooptandum fuisse. Locus est in
II. in Rullum c. 7. *Ne hoc quidem vidit, majo-
res nostros tam fuisse populares, ut quod per po-
pulum creari fas non erat, propter religionem
sacerorum, in eo tamen propter amplitudinem
sacerdotii, (pontificatus maximi) voluerint po-
pulo supplicari: atque atque hoc idem de ceteris
sacerdotiis Cn. Domitius TR. PL. V. Cl. tulit,*
*quia populus propter religionem sacerdotia man-
dare non poterat, ut minor pars populi vocare-
tur; ab ea parte qui esset factus, is a collegio
cooptaretur.* Scilicet in comitiis sacerdotum
creandorum minor pars populi, XVII nempe tri-
bus, sorte lectæ vocabantur; nominabant augures
duo, ex collegii sententia, & quidem jurato, (13)
quem dignissimum sacerdotio judicarent, eum
que deinde si novemtribus probassent, coopta-
bant in collegium. (14) Ex iis, qui nomina-

(13) CIC. in Brut. initio.

(14) conf. locus CIC. Phil. XIII. c. 5. *Reliqua populus Romanus in
ea familia, quam vidit amplissimam, persecutur: in primis pater-
num*

verant, alter novum collegam inaugurabat, patrisque loco ab eo habebatur. Duravit legis quædam observatio, etiam sub Cæsaribus, sed partes populi princeps sustinuit. Ita Plinius augur factus, principis primum judicium sibi gratulatur, deinde quod successerit Julio Frontino, qui me, inquit, nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tanquam in locum suum cooptaret. (15)

LÆLIA.

Præcipua auspiciorum vis in eo constituit, quod magistratus majores, auspiciorum obnuntiatione comitia dissolvere, omnesque actus irritos reddere possent. Id jus firmatum fuit LÆLIA, quam Cicero ideo inter certissima R. P. subsidia contra tribunitios furores refert. (16) Egisse illam de auspiciis, de obnuntiatione augurum & magistratum, ac intercessione tribunorum, & sancivisse, ut eo die, quo obnuntiatum aut intercessum fuisset, comitia solverentur, nec omnino cum populo ageretur P. Manutius probavit. (17) Lata fuit circa a. V. C. 600. Cicero enim

num auguratus locum, in quem ego eum, ut quod à patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo, &c.

(15) Ep. I. IV. ep. 8 add. I. II. ep. 1. Sic illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat.

(16) in Pif. c. 4. de Harusp. Resp. 27.

(17) deleg. Rom. c. 8. in GRÆV. Thes. A. R. T. I. p. 1048.

in oratione in Pisonem. (18) quam habitam Pompejo II & Craffo II. Cosl. (A.U.C. 698) constat: *Centum prope annos, inquit, L. Åliam & Fusiam tenueramus, quas leges ausus est nonnemo improbus, potuit quidem nemo convellere.* Conjungitur semper fere cum L. FUSIA, quæ alterum tranquillitatis propugnaculum fuit. Statuit enim, non omnibus diebus fastis cum populo agi, & nonnullos tantum reliquit, qui a comitiis habendis comitiales dicerentur. (19)

Sed cum ipsi tandem augures vix risum te-^{L. CLODIA,} nerent, quod se, velut in potestate haberent aves atque fulgura, ex arbitrio temperare consilia populi viderent, quid mirum si homines magna ausuri, superstitionem istam convellere conati sunt? P. Vatinius, qui sub C. Julii Cæsaris Consulatu tribunus plebis, adjutorque omnium consiliorum ejus, & æque incredulus fuit, denuntiavit statim senatui, actionibus suis augurum responsa, atque ejus collegii arrogantiam impedimento non futuram. Insecuta mox L. CLODIA omnem eorum religionem, totamque L. ÅLIAM evertit. P. Clodius a Cos. Cæsare, lege cu-

B. *ad hanc exhortatio* ^{riata}

(18) c. 5.

(19) Conf. MANUT. l.c.

riata, contra omne auspiciorum jus lata, ad plebem traductus, ut tribunus plebis fieri posset, ubi eum magistratum consecutus fuit, omnem ejus vim adversus Ciceronem convertit. Ne autem prætextu auspiciorum comitia, in quibus agere in illum parabat, dissolvere amici ejus possent, legem primo conniventibus Coss. Pisone & Gabinio pertulit: *Ne quis qui cum magistratu esset, iis diebus, quibus populus sciscere quicquam debebat, auspicia caperet.* (20)

Neque tamen leges Clodiæ diu ultra Pisoni & Gabinii consulatum (21) videntur viguisse, utpote per vim & fraudem latae. Totum Clodii tribunatum in dubium vocat Cicero, (22) quod is contra omne pontificium jus adoptatus à Fontejo esset, & quod eodem die, quo in curritatis comitiis lege Julii Cæsaris ad plebem transiisset, M. Bibulus *Cos.* Cæsaris collega, de cœlo servasset. Ipse Clodius versus finem tribunitus sui, subito a Cæsare aversus, & jam novus religionum vindex, ut irrita faceret acta Cæsaris, leges illius contra auspicia latas esse contenterat.

(20) Rem prolixè narrat DIO I. 38. p. 66. 67.

(21) Cic. pro Sext. 32. cum in senatu privatim ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiā timere dicebant.

(22) pro Dom. 15.

debat, (23) in quibus & curiata illa erat,
quæ totum ejus tribunatum complectebatur.
Itaque paulo post, peculiari edicto, ne quis
de cœlo servare velit, prohibitum fuisse legimus,
cum inconsultis, & quamvis frendentibus Diis,
perferre legem placeret: quod stante L. Clodia
minime opus fuisse. Nam cum de Cicerone
revocando sequenti statim anno lex ferretur,
SCtum factum est, (24) populi ipsius Ro-
mani, ut ipse gloriatur, & eorum, qui ex mu-
nicipiis convenerant, admonitu, ne quis de cœlo
servaret, ne quis moram ullam afferret. Et
post aliquod tempus ad Q. Fratrem scribit: (25)
Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur ob-
nuntiationibus. Est tamen locus apud Cicero-
nem, ubi Clodiæ legi vim aliquam tribuere vi-
detur. (26) Exprobrat Antonio, quod Cæsari col-
legæ, Dolabellam sibi in consulatu suffecturo
obnuntiaverit. *Quisquamne divinare potest,*
quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de
cœlo servare constituit? quod neque licet comitiis
per leges, & si quis servavit, non comitiis
habitit, sed priusquam habeantur, debet nun-
tiari.

(23) de harusp. resp. 13.

(24) pro Sext. 61.

(25) Ep. 3. I. 3.

(26) II. Phil. c. 32.

tiare. Nulla hic alia quam Clodia lex intelligi
videtur. Erat autem oratoris quocunque telo ad
confodiendum inimicum uti.

Sed haec jam commentari, ut mori Academæ
satisfacerem, placuit. Cum enim Serenisimus
ac Potentissimus Poloniarum Rex, & Elector
Saxonie &c. &c. &c. Dominus & Nutritius
noster longe clementissimus, professionem ju-
ris extraordinariam in hac Academia gratiofisi-
me mihi demandaverit, eamque futura Mer-
curii die, finitis sacris matutinis, oratione
inaugurali adire constituerim, rogandi sunt Ma-
gnificus Academæ Rector, Illustrissimi Comites,
Fautoresque bonarum literarum in utraque Re-
publica, & Generofissimi Nobilissimique Com-
mitiones, ut eam panegyrin præsentia sua or-
nare velint. Erit hoc mihi lætissimum novi
muneris auspicium, operamque sedulus nava-
bo, ut & publice & privatim erga singulos
hanc affectus in me & benivolentiæ testi-
ficationem, obsequio & officiis
demerear.




Lipzig, Diss., 1719

f



56.

Vol 12



8774. 1719, 9^a 13

Q. D. B. V.
**MAGNIFICUM ACADEMIÆ
RECTORÆ**

ILLUSTRISSIMOS COMITES
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES

NEC NON

*GENEROSSISSIMOS ET NOBILISSIMOS
COMMITITONES* (1)

AD AUDIENDAM ORATIONEM
**DE ORTU ET PROGRESSU
JURIS PUBLICI IN GERMANIA**
QUA PROFESSIONEM JURIS EXTRAORDINARIAM

*D. IX. AUGUST. H. L. Q. C.
AUSPICABITUR*

OFFICIOSISSIME INVITAT

D. JO. JACOBUS MASCOV
COLL. MIN. PRINC. COLLEG.

*LIPSIAE,
LITERIS ANDREÆ ZEIDLERI.
1719.*